



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

1. De Euangelio Domnicæ. De Pharisæo & Publicano. Luc. 18.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica XI. Post Trinitatem. 11. hebdomada  
post  
Trinit.  
1.

De Phariseo & Publicano. Luc. 18.

I. **E**Xpende, in quo deliquerit superbus Phariseus à Christo reprobatus, videlicet 1. Quod se præsumptuose iustum reputarit, quod soli Deo notum; alios temerè iniustos iudicarit, contra arcanum eiusdem Dei iudicium. 2. Quod se ipsum laudarit, sua bona opera recensendo, sibi suæque industriæ ea ascribendo: alios vituperarit, eorum peccata enumerando, eorumque seecordia & malitiæ illis imputando. 3. Quod se alijs prætulerit, nimiumque in animo extulerit, ob sua merita; aliosque sibi longè postposuerit, nimiumque depressit, ob sua demerita. O vtinam nulli hodie tales Pharisei, tam abominabiles Deo, Angelis, & hominibus reperirentur! Cave ne his iudicio diuinæ sapientiæ scrutantis corda & renes accensearis. Horror superbiæ, & feruor cauendi hos eius actus.

II. In quo placuerit Christo humilis Publicanus.

Publi-



Publicanus, sic ab eo laudatus. 1. Quod ex profunda cognitione suae vilitatis, indignitatis, ac malitiae, non ausus fuerit oculos ad caelum leuare. 2. Quod confessus sit se nihil boni ex se fecisse, nec facere posse, omnia bona Deo, sola peccata sibi ascribendo, atque ex intimo corde dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* 3. Quod se ipsum, ut peccatorem, qualem se intus reputabat, foris haberi, & reputari voluerit, à longè stando, tanquam aliorum consortio esset indignus, & pectus suum percuriando. Hos actus humilitatis quò feruentius æmulari studueris, eò benignius ab eo, qui humilia respicit, & alta à longè agnoscit, respici mereberis. Feruor proficiendi in humilitate.

III. Quantum differant iudicia hominum exteriora tantum intuentium, à iudicijs intuentis abscondita cordis: Quis hominum non prætulisset Pharisæum, tot bonis operibus eminentem, Deoque gratias agentem, Publicano, peccatis infami, pectus percurienti? & quàm fixum maneat decretum Dei, qui uti exaltare humiles, & humiliare superbos ab æternitate statuit, sic in tempore id ipsa re ipsa  
pra-



præstare non desinit. Admiratio iudiciorum Dei, zelus in humilitate excellendi.

De 3. Beatitudine. Beati qui  
lugent.

II.

I. **E**Xpende, qualis luctus hic à Christo tertius assignetur scalæ cæli gradus, nimirum triplex. 1. Luctus compunctionis ob Deum, tor peccatis admissis offensum, ob pronitatem peccandi, & periculum in plures saltem quotidianos defectus relabendi. 2. Compassionis, ob tantam multitudinem hominum in peccatorum cœno hærentium, sub graui onere variarum afflictionum ac miseriarum mentis & corporis gementium, ac tandè absque vlla spe liberationis æternum pereuntium. 3. Deuotionis, ob prolongationem ærumnosi exilij, crebram interruptionem actualis amoris Dei, & longam absentiam cœlestis Sponsi.

Quàm pretiosæ hæ triplices lacrymæ, non tam oculorum, quàm cordiũ, si non tantum internis affectibus exprimantur, sed in expiandis cauendisq; peccatis, in iuuãdis afflictis proximis,